OTTO FRISINGENSIS

Admont, 2. Hälfte 12. Jh.

Seite 65r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26044
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Pharamundo mortuo, Clodius filius eius crinitus, a quo Francorum reges criniti sunt dicti, successit. His diebus Francia quasi seminata, Roma paulatim minui. Langentes quoque ex Romanorum provincias non regna habitabant, reges certe iam exullorum potestate subduci, ac imperii arbitrii auctoritate stare desierunt. Hinc Gothi dum ipsam quoque urbem depraedati essent, in Gallirica provincia ut dixi ulterius iterum consederunt. Burgundiones quoque iuxta Rhodanum habitabant, qui et ipsi non multo post reges habere ceperunt. Sic et Franci Rheno transmisso Romanos qui ibi habitabant primo fugant, post captis Galliae Tornaco et Cameraco urbibus, ac inde paulatim progredientes, Remis, Suessonam, Aurelianum, Agrippinam (colonia), Treverim ac pene totam Galliam atque Germaniam ab Aquitania usque in Baioariam sibi subiugant. Clodio mortuo Meroveus filius eius, a quo Franci Merowingi dicti sunt, successit. Post quem Hildericus regnum adeptus, dum luxuriose viveret, a suis pulsus est, Egidiusque Romanus in locum eius substituitur. Porro Hyldericus post VIII annos revocatus, Agrippinam invadens, electis inde fautoribus Egidii Romanis, positisque suis ex Francorum incolatu Coloniam vocari fecit eam. Mortuo autem Egidio filius eius Siagrius in civitate Suessona regnavit. Hildericus autem vita decedens filio suo Clodoveo regnum dimisit. Hic est Clodoveus qui a beato Remigio baptizatus primus Francorum regum christianus fuit. Porro Siagrius Clodoveo bellare non valens, ad Alaricum qui iunior ab Alarico magno Gothorum tunc regnum gubernabat confugiens, a Clodoveo repositus traditusque necatur. Romani etiam qui in Galliis habitabant ita ut nec reliquiae ibi inveniantur exterminati sunt. Unde videtur mihi Francos qui in Galliis morantur a Romanis linguam eorum qua usque hodie utuntur accommodasse. Nam alii qui circa Rhenum ac in Germania remanserunt teutonica lingua utuntur, quae autem eis antiquitus naturalis lingua fuerit ignoratur. Itaque Clodoveus subiugatis Alamannis, Gothis quoque et Aquitanicis iam christianus bellum indicit. Quod dum pergeret beato Martino votum vovit. Cumque victis Gothis et occiso Marico reverteretur dotata beati Martini ecclesia, a cubiculariis equum suum eis traditum dum redimere centum solidorum pretio vellet, ille immobilis permansit. Quem dum sic additis aliis centum solidis solvisset dixisse fertur: Martinus bonus in auxilio, carus in negotio.

TRANSCURSIS igitur a Constantino usque ad diminutionem huius maximi regni Gothiceque fortissimae gentis adtenuationem, cum precipue ad Francorum quibus postea monarchia cessit principia devenerimus, cum iam Roma cadente Francia ad accipiendam coronam surrexit.